

ad **az** eon se<sup>z</sup>gagnewi sum shawij  
luc illi me ait<sup>z</sup> suum<sup>z</sup> p<sup>z</sup>gagnewi  
me o<sup>z</sup> s<sup>z</sup>mungem<sup>z</sup> q<sup>z</sup>pnioc<sup>z</sup> n<sup>z</sup>p mai  
owin o<sup>z</sup> o sanow<sup>z</sup> h<sup>z</sup>pwu am<sup>z</sup> n<sup>z</sup>oq  
m<sup>z</sup> m<sup>z</sup> m<sup>z</sup> maid sid<sup>z</sup>o v<sup>z</sup>at<sup>z</sup> abj<sup>z</sup>mb  
an n<sup>z</sup>p. menjai m<sup>z</sup> ad<sup>z</sup> p<sup>z</sup>unq<sup>z</sup>u am<sup>z</sup>  
m<sup>z</sup> d<sup>z</sup>to u<sup>z</sup>gagnewi sou n<sup>z</sup>o s<sup>z</sup>u<sup>z</sup> o<sup>z</sup> m<sup>z</sup>  
p<sup>z</sup>el<sup>z</sup> su<sup>z</sup>u<sup>z</sup> d<sup>z</sup> am<sup>z</sup> san<sup>z</sup>qe am<sup>z</sup> su<sup>z</sup>  
p<sup>z</sup>ro u<sup>z</sup> o<sup>z</sup> o<sup>z</sup> o<sup>z</sup> am<sup>z</sup> q<sup>z</sup> e san<sup>z</sup>q<sup>z</sup> d<sup>z</sup> n<sup>z</sup>  
102 v<sup>z</sup> e u<sup>z</sup>eu<sup>z</sup> n<sup>z</sup>ad j<sup>z</sup>beu<sup>z</sup> su<sup>z</sup>u<sup>z</sup>  
m<sup>z</sup> e u<sup>z</sup>u<sup>z</sup> u<sup>z</sup>  
d<sup>z</sup> u<sup>z</sup> s<sup>z</sup> i<sup>z</sup> u<sup>z</sup> e p<sup>z</sup>u<sup>z</sup> u<sup>z</sup> u<sup>z</sup> u<sup>z</sup> d<sup>z</sup> ou<sup>z</sup> v<sup>z</sup>  
l<sup>z</sup> e u<sup>z</sup> u<sup>z</sup>

o/k

J. g. 18

114

Be.

Theol. D. VII. 331.

13 ORATIO  
DE D.  
**SIMONE PAVLI,**  
SUPERINTENDENTE EC.  
clesiae & Professore academiæ Rosto-  
chiensis celeberrimo.

Habita à  
**LVCA BACMEISTERO**  
Theologiæ D.

CVM ILLVSTRISSI-  
mus Princeps VVilhelminus in Li-  
uonia Curlandia & Semigallia  
Dux, prorogato sibi Academia Re-  
ctoratus, vices suas illi in publico  
& solenni actu commendaret,

die 18. Octob. Anno.

Christi 1591.



ROSTOCHII  
Typis Myliandrinis.  
ANNO cl. I. xlii.



ORATIO  
DE D. SIMONE PAVLI



Vcet sapientia, bonitas & omnipotentia Dei in vniuerso & pulcher in hoc mundi theatro, in quo cernitur admirandus ordo, figura & positus omnium mundi corporum, certissime leges motuum cœlestium, vices temporum anni, diuinum & noctium; ad utilitatem hominum, animalium & rerum nascentium accommodatae, terræ situs, stabilitas & fœcunditas, Plantarum, arborum, herbarum, florum varietas, elegancia & diuersæ vires, Speciem in animalibus miranda perpetuitas, propagatio, & generationis modus, fontium & fluviorum perennitas, plurimaq; alia in singulis creaturis, quæ certo numero, mensura & pondere disposuit sapientissimus ille archiectus, iuxta dictum libri Sapientiae.

Denique homo ipse μικροστόμος à veteribus appellatus, & Dominus terrestrium creaturarum à Deo constitutus, illustre testimonium de conditore suo perhibet, non solum in corporis sui omnium; eius partium admiranda fabrica, vnde Plato formam humani corporis θεωρείν dixit, sed multo magis in mente, cui insitum est lumen rationis,

A 2 noui-

S. pi. II.

notitiæ numerorum; principia & semina  
variarum artium, lex naturæ monstrans  
Deum, discernens honesta & turpia, guber-  
nans & reprimens affectus, ne ruant contra  
rectam rationem, excitans & regens iudiciū  
conscientiæ in recte & secus factis: adeoque  
totius politici ordinis, legibus, iudicijs, ma-  
gistratibus, pœnis delinquentium; mutuisq;  
inter homines officijs consociati; salutarem  
statum & conseruationem secundum Deum  
adiuiuans. Quæ omnia cum aspicimus &  
consideramus, sacerdi cogimur, non casu exti-  
tisse hunc mundum, sed esse Deum, meniem  
æternam, sapientem & omnipotentem, ar-  
chitectricem & hominum, & huius pul-  
cherrimi domicilij nostri, & hanc semper  
adesse suo operi, & inspectricem ac iudicem  
esse nostrorum factorum.

Sed multo maius & sublimius testimoniu[m]  
est mirandæ sapientiæ, bontatis & potentiae  
Dei, patefactio cœlestis doctrinæ, collectio,  
gubernatio & defensio Ecclesiæ omnibus  
temporibus in genere humano, conseruatio  
publici ministerij, eiusque efficacia, ad mul-  
torum hominum conuersionem & salutem;  
omniumque piorum cœtuum in Ecclesia &  
scholis, inter tantas mundi confusiones, &  
imperiorum rotus & ruinas protectio. Hoc  
incenarrabile Dei beneficium & opus, omni  
admis-

admiratione & laude dignissimum, nos pre-  
cipue, qui veræ Ecclesiæ ciues sumus, & in  
scholastico cœtu doctrinæ diuinitus reuelatae,  
bonarumque artium studia colimus, ar-  
tentis mentibus & gratis vocibus prædicare  
debet. Idque in his maxime publicis & so-  
lennibus congressibus fieri oportet, ad quos  
totum in Academia nostra docentium & di-  
scendentium cœtum conuenire, cum prætorium  
edictum Rectoris, tum Academiæ leges iu-  
bent: Non ut inania quædam spectacula aut  
ludi a gyrtarum exhibeantur, nec ut anilium  
fabularum narrationes, aut vacui sine mente  
soni, & prophane ~~κεροφωνίας~~ recitentur, sed  
ut precatio & gratiarum actio communibus  
omnium animis & linguis fiat, necessariæ,  
utiles, ac salutares doctrinæ & commonefa-  
ctiones à senioribus proponantur, magistra-  
rum suum quisq; agnoscat, & propriæ Deum  
veneretur: Ipsa denique iuuentus, in tam fre-  
quenti & ornatissimo cœtu, ad amorem o-  
ptimarum artium & virtutis, & ad studium  
tuendi atque ornandi eximum ordinis no-  
stri decus & dignitatem, sese exsuscitet.

Tibi igitur æterne & viue D E V S, pater  
Dominij nostri IESV CHRISTI, toto pecto-  
re gratias agimus, cum pro omnibus cæteris  
beneficijs, tum verò pro hoc summo bono,  
quod filium nobis misisti, & te nobis tradita

A 3 certa

certa legis & Evangelij doctrina patefecisti,  
& per huius doctrinæ vocem ac ministerium  
Ecclesiam ibi inter nos colligis, eiique pios  
in scholis cœtus adiungis. Et quod hanc Aca-  
demiam inter varias difficultates iam an-  
nis continuis 172. benignè seruasti, ac sedem  
& domicilium bonarum artium & honestæ  
disciplinæ esse voluisti: Das etiam idoneos  
& salutares in Ecclesia & Academia Docto-  
res, mediocrem tranquillitatem, hospitium  
in urbe hac commodum, & reliqua vitæ ne-  
cessaria. Teque supplicibus votis precamur,  
ut lucem doctrinæ tuæ in hac Ecclesia &  
Academia deinceps clementer serues, & nos  
Spiritum tuo sancto doceas & gubernes, ut re-  
recte agnoscamus, diligamus pacem & ve-  
ritatem, officia vocationis nostræ suo quisq;  
loco fideliter obeamus, teque in hac vita &  
in omni æternitate pijs laudibus celebre-  
mus. Cumque promiserit filius tuus Domi-  
nus noster IESVS CHRISTVS, se eiam  
in duorum aut trium medio esse velle, cui  
congregati sunt in nomine ipsius, eundem  
quoque veris gemiibus oramus, vt hunc  
docentium & dissentium cœtum umbra  
manus suæ protegat, habitet in medio no-  
stri, reprimat Diabolos eorumque furores,  
auerrat scandalum & dissipationes, & tran-  
quilla halcyonia studijs nostris tribuat. No-  
stra

stra quidem peccata merentur similes pœnas & calamitates , quales videmus iam in florentissimis Galliæ & Belgici regionibus. Sed tu Domine fac propter nomen tuum, ne respondeant nobis iniquitates nostræ. Expectatio Israël , saluator noster in tempore tribulationis. Quare tanquam colonus futurus es in terra, & quasi vagabundus viator à nobis discessurus es ? Ne derelinquas nos, maneto in domicilio hoc tuo , quod vocem doctrinæ tuæ & expositæ & discit. Tali enim precationis forma rectè cū Ieremia utimur.

Hac communi gratiarum actione & invocazione præmissa, vt DEO gloria dicatur, & animi singulorum ad pietatem excitentur, nunc pro visitato in his actibus more , subiungam orationem conuenientem huic temporis & loco, & illustrantem illud, de quo in exordio dixi , immensum Dei beneficium collectionis Ecclesiæ, & conseruationis ministerij. Utitur enim DEVS in docendis & conuertendis hominibus, ad veram sui agnationem & æternam salutem, ministerio fidelium doctorum, quos ipse eligit, vocat & mittit, ac donis Spiritus Sancti necessarijs ad tantum ministerium instruit, & hos in scholis primum vult præparari & erudiri , & velut surculos, ex quibus dulces ac salutares fructus horti cœlestis sperantur, diligenter excoli.

A 4 Vg

Ut igitur superiori Rectoratu meo, Lucæ  
Lossij, fidelissimi & felicissimi doctoris &  
gubernatoris studiorum iuuentutis, in scho-  
la Luneburgensi, præceptoris olim mei per-  
petua gratitudinis memoria colendi, histo-  
riam recitaui: ita iam, dum vices suas Ma-  
gnificus Academiæ Rector, & Illustrissimus  
Curlandiæ & Semigalliae Princeps, clemen-  
ter mihi demandauit, præstantissimi huius  
Ecclesiæ & Academiæ Doctoris SIMONIS  
PAVLI beatæ memoriæ, qui eundem Lossiū  
præceptorem in adolescentia sua habuit, vi-  
tæ cursum, studia, labores, merita, ac totum  
ministerij eius πολιτευμα, historica narra-  
tione complectar. Pertinet enim ad officium  
gratitudinis DEO debitæ, ut tanti viri tamq;  
præclare donis sibi à Deo collatis, de Eccle-  
sia & Academia nostra meriti, atq; ante tri-  
mestre primum nobis voluntate Dei erepti,  
magna cum iactura & desiderio nostro, non  
recentem modò, sed etiam perpetuam &  
gratam memoriam conseruemus. Laudat  
Siracides viros gloriosos, & donis ac meri-  
tis excellentes, qui præcipua Ecclesiæ lu-  
mina ante ipsum fuerant, & horum sapien-  
tiam vult narrare populos, & laudē annun-  
ciare vniuersam Ecclesiam. Cur non laude-  
mus nos quoque viros magnos, qui utilia  
organa actionum Dei in Ecclesia & Scholis  
fuerunt?

fuerunt? Inter cuos merito recensemus pie defunctum Superintendantem & collegam nostrum D. Simonem. Hos enim cum laudamus, laus ea tota Dei est, ut quidam in carmine suo pie scripsit. De hoc itaque argumento mihi pro tenuitate mea dicenti, ut Illustrissimus Princeps, Reuerendi & Clarissimi Domini Professores, amplissimi Domini Consules, cæterique Doctores, Licentiatи & Magistri, nobilissimique & studiosissimi auditores clementer & benevolè auscultent, demissè, reuerenter & amanter oro.

Patriam habuit D. Simon Pauli, Suerenum, celebre huius ditionis oppidum, & propter amoenissimum loci situm, & præcipue propter sedem aulæ Illustrissimorum Principum Megapolensium: quod ipse eā, qua decuit ciuem, pietate & gratitudine, erudita elegantiique oratione, cum iuuenis in hac Academia bonis litteris operam daret, celebravit,

Parentes fuerunt Iohannes Pauli & Anna Losen, homines pij & honesti, & ex primarijs in ea ciuitate familijs nati. Ac pater in Senatorium ordinem postea lectus, ad Consularem quoque dignitatem peruenit, cui muneri, sicut & alijs in hac prouincia publicis officijs, summa cum laude gravitatis, prudentiæ & industriæ præfuit. Fratrem

A s . etiam

eriam is habuit Michaëlem, 'cui propter  
prudentiam & fidem singularem, Præposui  
munus in monasterio Debertinensi, Illu-  
strissimorum principum gratia consecu-  
tus est. Et si autem patria celebrior, & fa-  
milia virtute & dignitate antecellens, non  
exiguam commendationem addit natis, &  
verissimum esse experientia testatur, quod  
Horatius cecinit: Fortes creantur fortibus  
& bonis, Est in iuencis, est in equis Patrum  
virtus, nec in bellem feroces Progenerant  
aquilæ columbam: tamen præcipua & ve-  
ra laus est, iuxta Basiliū, ciuem esse lau-  
datissimæ patriæ, quæ omnibus pijs com-  
munis est, videlicet Ecclesiæ, ciuitatis Dei,  
superioræ Hierusalem, cuius opifex & con-  
ditor est Deus. Ea enim, teste Paulo, ma-  
ter est omnium nostrum, qui sumus filii  
DEI, geniti per Euangelium, & in Chri-  
sto adoptati in hæreditatem vitæ æternæ.  
Huius ergo patriæ, Ecclesiæ nimirum,  
non ciuem solum, sed Doctorem quoque &  
gubernatorem præcipuum & fidelem in pri-  
mis fuisse D. Simonem, & genus suum inter  
filios Dei, quorum nomina scripta sunt in  
libro vitæ, recensere potuisse, omnem terre-  
næ patriæ & familiæ gloriam superat.

Natalis eius, quantum ex ipso cognos-  
cere potui, incidit in annum à nato Christo

1534. &c

1534 & diem Apostoli Simoni & Iudeæ  
sacram vnde & nomen ipsi S. monis inditum  
fuit à parentibus. Et quia nunc decennio  
tantum a genethliaco eius absimus; gratiæ  
nobis commemoratio erit, vt diem, quæ  
tantum virum in hanc lucem, ad Ecclesiæ  
& scholæ nostræ viilitatem primum pro-  
duxit, eiusdem piæ memoriae gratis menti-  
bus consecremus.

Annus iste, quem diximus, tricesimus  
quartu, multis rebus in orbe Christiano &  
Germania præcipue gestis, valde insignis  
fuit. Nam Euangelij doctrina in his vrbibus  
maritimis sincerius & absque impedimentis,  
abrogatis vbiique veteribus supersti-  
tionibus, propagata est, vt in ditionem quo-  
que Brunsuicensem, à Philippo principe in  
Grubenhagen pio & laudato, cuius fi-  
lius Ernestus postea in prælio ad Mulber-  
gam, vna cum Iohanne Friderico Saxo-  
niæ Electore captus fuit à Cæsare Carolo,  
introduceda sit. Philippus Hassiæ Lan-  
grauius, Ulricum Ducem VVirteburgi-  
cum, à rege Ferdinando & Suevico fœdere  
ante 15. annos electum, armis in patrium  
ducatum restituit. Anabaptistarum secta  
in vrbe Monasterensi inualuit, vnde tra-  
gœdia illa tristissima diuturnæ obsedio-  
nis & captæ tandem vrbis, anno sequente,  
die

die Iohannis Baptiste secuta est. In Anglia,  
ob latam à Pontifice Romano Clemente  
VII. sententiam, in Henricum VIII. Anglia  
regein, propter diuortium cum Catharina  
Hispanica prima Iconiuge factum, omnis  
Pontifici potestas & iurisdictio Ecclesiastica  
à rege abrogata est. Omitto alia multa, de  
quibus iam non est dicendi locus; & redeo  
ad historiam pueritiae & adolescentiae D.  
**SIMONIS.**

Accuratam fuisse educationem eius in  
doctrina & correptione Domini, ab ijs pa-  
rentibus, qui aliquot iam annis degustauen-  
tavit cœlestè donum veritatis Euangelicæ,  
ac pietate & honestate vitæ alijs præluce-  
bant, res ipsa postea ostendit. Ut enim Timo-  
theus Pauli Apostoli γνήσιος discipulus, ab  
auia sua Loide, & matre Eunica, fidem Chri-  
stianam à puero didicit: ita hic à sua matre  
& auia, quia uim pietatem & erga se amorem  
sæpè mirificè nobis prædicabat, veræ reli-  
gionis semina à teneris annis percepit, quæ  
in eximios postea fructus cum ætate succre-  
uerunt. Cumque ingenium in ipso alacre &  
excitatum, ac capax doctrinæ appareret, in  
scholam patriam à parente deductus, feli-  
cissimè prima Grammaticæ elementa, &  
Catechesin didicit, & paulatim ad altiora  
pro-

progressus, æquales suos docilitate & profectu longè superauit.

Celebris eo tempore schola Luneburgensis fuit, quam HERmanus TVlichius, VViterberga, vbi oratoriam artem & Poësin publicè docebat, à senatu eius urbis acciussus primum aperuerat, biennio ante natum D. SIMonem: ac singulari in institutione iuuentutis cura, industria & felicitate, omnium vicinarum scholarum frequentissimam & celeberrimam effecerat. Moriens autem anno 1540. cum magno omnium bonorum dolore, Lucam Lossium, quo velut filio & collega fidelissimo usus fuerat, reliquit. Hic cum tandem institutionis formam, quam à TULichio didicerat, summa cura deinde obseruaret, eam nominis & diligentiae suæ famam consecutus est, ut ex varijs Saxonie & VWestphalię locis, adolescentes ad disciplinam eius confluenterent. Ea igitur fama parentis Doctoris Simonis motus, filium hunc suum Luneburgum ex patria schola transstulit, & Lossio in primis erudiendum tradidit. Factum id est anno ætatis eius decimo sexto.

Hunc præceptorem præ cæteris, quos in adolescentia habuerat, amauit & coluit maximè, ac honorificam sæ penumero mentionem, paternæ eius fidei, solicitudinis, curæ erga

erga discipulos, domèsticæ iam disciplinæ,  
& in defensæ diligentia in exercendis puerorum  
ingenijs, & Grammaticis præceptio-  
nibus nprimis inculcandis, spud amicos fa-  
cere solitus fuit, plurimaque gratitudinis te-  
stimonia ipsi & filijs eius exhibuit. Vicissim  
quoque Lossius non absente modò dile-  
xit & commendauit, ob ingenij præstan-  
tiam, & obedientiæ aliarumque virtutum,  
quæ iam tum in eo eluxerant, studium, sed  
etiam præseniem in hac Academia, cum nos  
duabus vicibus inuiseret, & in tanta publi-  
corum munerum dignitate & autoritate  
constitutum videret, summa humanitate &  
reuerentia complexus est, gratulans sibi de  
hoc eximio Dei beneficio, quod felices la-  
borum suorum successus in eiusmodi diti-  
pulis conspiceret.

Ex schola Luneburgensi & priuata Lu-  
cæ Lossij disciplina, qua per biennium vnde,  
in artibus dicendi, & in latina & græca lin-  
gua egregios progressus fecerat, parens re-  
uocatum in patriam, Rostochium misit, vt  
sublimiorum artium & totius philosophiae  
studijs ingenium discendi amore mirificè  
flagrans excoleret. Ita venit in hanc Aca-  
demiam initio mensis Maij, Anno 1552.  
ætatis verò 18. Rectore Antonio Freude-  
manno I. V. Doctore & professore, viro  
grauis

grauī, sapiente, & iusticiæ atque disciplinæ honestæ obseruantissimo, quem & ego in iuuentute mea VVitebergæ noui, & cum alijs quincunx, præstantibus viris gradu doctorum in Iurisprudencia insigniri vidi.

Magna tum frequentia studiosorum fuit in hac Academia, multis propter luis pestilentialis metum, quæ VVitebergæ eo anno gressabatur, huc migrantibus. Et aliquanto ante VViteberga huc venerant præter Freudemannum, Iohannes Aurifaber Theo-  
logus, David Chyträus, Matihäus Rose-  
lerus, ad quos Iacobus Bordingus Medi-  
cus Hamburga, alijque aliunde viri erudi-  
tione, iudicio, autoritate & dexteritate in  
docendo celebres accesserunt, qui una cum  
Arnoldo Burenio, primo quasi instaurato-  
re collapsæ propemodum Academiæ, cæ-  
terisque senioribus, studia omnium faculta-  
tum & artium magna diligentia & fide ita  
rursus accenderunt, ut ab eo usque tempo-  
re hæc Academia florens & celebris offici-  
na veræ & incorruptæ doctrinæ cœlestis,  
optimarumque artium & mediocris disci-  
plinæ manferit.

In talem igitur statum Academiæ cum diuina prouidentia incidisset D. Simon non defuit sibi ipsi, sed natuam ingenij vim &  
alacri-

alacritatem studijs philosophicis primum magna sedulitate intendit, eruditissimos præceptores assidue audiuit, exercitijs styli, examinum, disputationum, quæ tum certatim ab omnibus colebantur, non interfuit tantum libenter, sed e iam sæpè præfuit. Adiunxit quoq; paulatim sacrarum litterarum cognitionem, atq; Ecclesiæ Dei studia sua, & parentum hortatu, & proprio voluntate diuinitus incitata, consecravit. Ita cum diligentiam in discendo, obseruantiam erga maiores, continentiam & modestiam in moribus, & ingenij erudita doctrina ex cultis præstantiam in eo, tam Professorès Academię, quam commilitones animaduerterent, magnam de se spem optimæ frugis & excellens aliquando viri præbuit omnibus.

Röstochio eum parens anno 1555. in Academiam VVitebergensem ablegauit. Nam PHilippum Melanthonem, virum in omni doctrinatum genere incomparabilem, & in vniuersa fere Europa celebratum doctorem, audire & videre cupiebat. Ex huius igitur & aliorum, quos illuc præceptores habuit, institutione, tantum breui profecit, ut per omnes philosophiae partes continuato cursu, publicum eruditioñis suæ testimonium à collegio Philosophico obtinuerit, sequenti statim

statim anno 36. mense Martio, cum ipse 22.  
ætatis suæ annum ageret.

Eodem anno ego quoque VVitebergam  
studiorum causa secundò reuertens, statim,  
Deo ita disponente, in amicitiam eius per-  
ueni, apud Tilemanum Stellam, virum opti-  
mum, & rectitudine animi, veraque virtute,  
& imprimis doctrinæ Astronomicæ & Geo-  
graphicæ exquisita scientia insigiem. Is e-  
nīm cum familia sua Suerino VVitebergam  
concesserat, ut tabulam Geographicam exi-  
tus Israëlitarum ex Aegypto, aliaque opera  
ederet, in quibus consilio Domini Philippi  
Milanthonis, aliorumque doctissimorum  
virorum, & sculptorum ac Typographo-  
rum arte yteretur. In huius ergo Tilemani e-  
dibüs cum D. Simon cibum caperet, ego ve-  
rò habitarem, occasiones mutuorum sermo-  
num & amicæ contiersationis crebrò se offe-  
rebat. Atque hæc initialiter fuerunt amicitiæ  
nostræ, quam cum in hac vrbe & Ecclesia  
iterum nos coniungeret Dominus, piè &  
constanter coluimus, annos continuos tri-  
ginta quinque.

Interea ipse non modo discipuli probi &  
auditoris seduli officio functus est, verum  
etiam accepta docendi per gradum Magi-  
sterij potestate, priuatim alios docere cœpit,  
proponens dicendi artes, Arithmeticam,

B      doctri-

doctrinam Sphæricam & Phylsicam, tali dexteritate & perspicuitate, ut nomen eius & industria toti Accademiae innoiesceret. Et quia imprimis temperans erat, & patiens laborum, pauciisque somni, binas, saepè etiam ternas lectiones, & quidem diuersas uno die habebat, additis insuper cum priuatis discipulis, quos complures recipere cogebatur petentes, repetitionum & styli exercitijs. Qua diligentia & labore animos auditorum ita sibi conciliavit, ut mercedem debitam libenter soluerent, quam aliqui vel degustatis primoribus labris lectionibus, vel immixtamente ferè earum fine, subtrahere solent lectoribus. Atque hinc tantum lucratus est pecuniae, ut sumptus studiorum necessarios & abundantes haberet, nec grauis esse cogescuntur parentibus.

Aliquando post studio Theologico tecum se dedidit, & initio priuatim, ac deinde publicè, tubente Domino præceptore Philippo, Examen eius Theologicum, in frequenti auditorio explicavit. Quare & Dominus Philippo charus & familiaris factus, cum Illustrissimus princeps Megapolensis Johannes Albertus, laudatissimæ memorie, concionatorem aulicum sibi indicari peteret, consilio & commendatione Philippi ad hoc munus iuatam Suerensem vocatus

Vocatus est. Visitato igitur impositionis manus  
ritu ad ministerium Ecclesiasticum or-  
dinatus; à Reverendo viro Doctore Paulo  
Ebero, pastore tum Ecclesiae VVitebergen-  
sis, ipso die annunciationis Mariæ, An-  
ni 59. circa Pascha in patriam redit: Cum  
& ego decem diebus ante ab eodem ad  
ministerium docendi Ecclesiam ordina-  
tus essent, ac paulo post VViteberga dis-  
cessisset.

Porro virilem ætatem, & munus publi-  
cum & amplissimum, Deo vocante & du-  
cente, ingressus, eiusmodi statim animo ac  
donis elucidere cœpit, ut appareret diuinus  
eum regi, & eximum Spiritus Sancti orga-  
num esse, cuius aliquando magnus in Eccle-  
sia Dei sus futurus esset. Conciones antea  
nullas vel paucas admodum habuerat, &  
ætas adhuc iunior videbatur. Sed prima sta-  
tim coram Illustrissimo Principe Iohanne  
Alberto concione; & ipsius Principis, &  
Consiliariorum eius animos ita affecit, ut  
spiritum & faciundiam eius admirarentur.  
Ac scimus Principem illum non modo sapi-  
entia, doctrina & magnitudine animi, sed et-  
iam verę pietatis amore & studio excellentē  
fuisse. Ideoq; & ipse Biblia sacra assidue le-  
gebat, & conciones in tēplis tanta attentione

B 2 audie-

Iesu. 1.

audiebat, ut domum reuersus, præcipios eorum locos, & si quid in explicatione textus memorabile percepisset, libro ad id destinato inscriberet: de rebus item sacris, quæstionibus & controvërsijs. Theologicis sæpè cùm Theologis & concionatòribus eruditè grauiterque conferret. Non ignorabat enim optimus Princeps diuinum præceptum Iesuæ principi populi Israëlitici traditum: Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. Tunc diriges viam tuam, & prudenter ages. Exemplum quoque Alphonsi sapientissimi regis nouierat, qui quaterdecies perlegisse Biblia sacra fertur, & in insignibus suis librum cum Pelicano fodiente rostro pectus, & pullos sanguine suo aspergente, pingi voluit, cum hac inscriptione: Pro lege & pro grege.

In huius ergo Principis aula prima quasi Tyrocinia ministerij sui fecit D. SIMON, eiusque grauissimo iudicio ita se probauit, ut comitem assumeret profectionis suæ ad comitia, quæ tum prima Imperij sui Ferdinandus Cæsar, fratri Carolo V, imperium sponte deponenti succedens, in urbe Augusta indixerat. Multos ibi Germaniæ principes præter ipsum Cæserem vidit, morem

comi-

comitiorum obseruauit, in multorum præstantium & doctorum virorum notitiam peruerit, qui & concionantem in diuersorio Principis cum voluptate audierunt, & sermonibus eius familiaribus & eruditis delestat sunt. Qua de re sæpè eum iucundas historias commemorantem audiuiimus.

Reuerso ex comitijs Illustrissimo Principe Suerinum, perseuerauit in officio Ecclesiastico, ac dona sua exercendo, iuxta Pauli præceptum, egregiè suscitauit, ut magis magisque appareret in eo Spiritus non timiditatis, sed roboris, dilectionis & sobrietatis, quo pectus & lingua eius gubernabatur, ut & potens esset in docendo, exhortando, & contradicentes conuincendo, & doctrinam honestis vitæ exemplis ornaret. Simul etiam σύγεστη μλιπκλω, & qualis sit aulicorum ingeniorum & morum ratio, & quæ ad decenniam & comitatem in vita ciuili pertineant, in aula didicit. Gratus ergo & charus Principi suo omnibusque bonis fuit. Cumque Rostochij Pastor Ecclesiæ collegiatæ ad S. Iacobum eo tempore desideraretur, fama nominis & virtutis eius mota Ecclesia, & urbis huius Ministerium, hunc sibi Pastorem & Collegam dari petiuerunt. Ægrè dimisit eum Princeps, ægrè parentes & amici, qui in patria ipsum retinere cupiebant. Dimiserunt

B 3 tamen

ramen , cum in illustri hac Ecclesia & Aca-  
demia, illustriora fore dona eius, & fructum  
ex illis ampliorem in plures emanaturum  
esse perpenderent.

Venit igitur Rostochium , anno Chri-  
sti 1560. ætatis suæ 26. eamque statim laudem  
pro concione in templo docendo, & in Aca-  
demia artes dicendi & scripta sacra expli-  
cando consecutus est, ut magna copia vndi-  
que auditores concurrerent, & ingenium,  
eruditio, dexteritas in docendo, grauitas in  
arguendo & exhortando, omnibus admirati-  
oni esset, nec minus à Reuerendo Ecclesiæ  
ministerio. quam à Professoribus Academiæ  
amaretur ac magni fieret. Sequenti anno,  
cum die 29. Aprilis gradus Doctorum Theo-  
logiæ Reuerendis & Clarissimis viris, Daui-  
di Chyträo, & Iohanni Kittelio tribueren-  
tur, his quoque SIMON Pauli adiunctus  
fuit, sumptus promotionis istius, qua &  
L. L. Iuris, Bartholomæus Clingius, colle-  
ga noster calendus, & Iohannes Bocerus  
poëta excellens, & præterea aliquot Theo-  
logiæ Baccalaurei designati sunt, Illustrissi-  
mis Principibus nostris liberaliter suppeli-  
tantibus.

Eodem anno matrimonium contraxit  
cum virginе primaria in hac vrbe, Regina,  
filia Senatoris quondam Rostachiensis Lau-  
filii

rentij Smedes, qui in patria familia VVis-  
mariæ natus, cum in hac Academia, & alijs  
bonarum litterarum studia & Iuris pruden-  
tiæ maximè coluisse, hic tandem domicie-  
rium sicut, & prudentia, humanitate ac bene-  
ficiencia eximia erga Ecclesiæ ministros, &  
Academiæ Professores, ac pauperes studio-  
sos conspicuus fuit, & dum viueret, D. Daui-  
di Chyrræo, præceptor & collegæ nostro  
honorando, cum virtutis atque eruditionis  
ipsius excellentis, cum ordinis nostri amore,  
filiam maximam natu Margaritam eloca-  
uit. Cum Regina ista, forma, ingenio & alijs  
dotibus matronalibus præstante, duobus  
tantum annis in suavi coniugio vixit, eamq;  
Anno 63. pueraram, suscepto ex ea unico  
filio Iohanne, amisit. Ac sequenti anno Ca-  
tharinam, Henrici Prengeri, viri boni, &  
ci-  
uis ac mercatoris præcipui, qui amplam &  
honestam familiam in hac vrbe propagauit,  
filiam vxorem duxit, quam itidem omnis  
virtutis & laudis matronalis specimen exi-  
mium, iam post annum felicis & tranquilli  
coniugij viceustum septimum, viduam  
cum septem liberis mœstissimam reliquit.  
Sed omissis priuatis rebus, ad publicas acce-  
do, quæ præcipuam ferè proximorum tri-  
ginta annorum historiam actionum & conse-  
cutionum in hac vrbe complectuntur.

B 4

Incidi

Incidit ministerium & ~~πλάτευνε~~ D. Simonis in difficultia temporali, grauissimaque negotia, & perturbatissimum statum huius Reipub. omniumque in ea ordinum. Nam & intestinum inter Senatum ac ciues plerosq; dissidium ardebat, & grauia Ministerij & Academiæ negotia cum Senatu urbis erant, & contiouerteræ inter Illustrissimos Principes & Rempub. de rebus magnis exortæ, in bellum tandem apertum eruperunt.

Veni ego biennio ferè post D. Simonem Rostochium, vocatus ex inclito regno Daniæ, ab implissimo Senatu, administerium Ecclesiæ diuæ virginis, & ad professionem Theologicam in Academia, quorum utrumque ante me sustinuerat summa cum laude & fructu, vir eximia eruditione, pietate, constantia, fide & Zelo ardens, M. Andreas Martinus. Atque hoc modo, Dei prouidentia & consilio, iterum in hoc loco conuenimus, & initam VVitebergæ amicitium, hic mutua eorundem studiorum & officiorum societatem, & grauissimorum negotiorum ac consiliorum pia fraternaque communicatione, usque ad extreum vitæ eius finem continuavimus, quam in cœlesti Ecclesia & schola, cum Deo placuerit, iterum coniuncti, firmissime & in omnem æternitatem colere non desinemus.

Integ

Intestinus motus variè torquebat & impellebat omnium animos, multa innouabat, multa miscebat, causæ, occasiones, consilia, actiones, diuersa pariebant studia & iudicia, nec leues confusiones & detrimenta status publici adterebant, quibus turbulenti quidam delecebantur. Verissimè enim Græcum poëtam, dixisse ipsi tum vidimus. *Ἐπεὶ δὲ διχοσασθη καὶ πάγκακος ἐμμορφετοῖς,* In seditione pessimus etiam sortitur honorem. Hic igitur rectum animi statum tenere, nec pro iustitia contra iustitiam facere, ac suum cuique tribuere, quod æquitas & pietas postulabat, id verò & difficile fuit, & prudentiæ singularis opus. Sæpe tentabantur à viris bonis & pacificis huius mali remedia, nec deerat officio suo D. SIMON VNA CUM reliquo Ministerio, tam publicè quam priuatim grauiter monendo, eos præfertim, qui impetu cæcorum affectuum abrupti, maiores parturiebant turbas, & Reipub. nomine atque utilitate ad tegendas cupiditates suas abutebantur. Verum exacerbatis utrinque animis, nec saniora consilia aut monita, nec immanis pestis, nec damni aut periculi ullius metus compescere eos potuit, donec bellum, duras secum pressuras trahens, totam urbem obrueret. Ita facile est cuiuis turbare ciuitatem, sed in tranquil-

B s lumi

tranquillum restituere solius Dei munus est,  
vt Pindarus in Pythijs eleganter cecinit. Sed  
desino refricare antiqua ista vulnera, &  
Deum oro, vt deinceps tranquillitatem pu-  
blicam inter nos serueret.

Quæ verò Ministerio cum Senatu disce-  
ptiones erant, magni quidem illæ momen-  
ti, facilius tamen dirempta & composta  
sunt, utriusque partis pia & prudenti mode-  
ratione. Perspecta hic quoque fuit, iudicij &  
consilij grauitas in D. SIMONE, temperata  
cum φλησχία & mansuetudine, qua illud  
deinceps etiam effectum est, vt ab eo tempo-  
re sancta dulcissimaque concordia inter Ec-  
clesiæ huius Doctores, & magistratum poli-  
ticum hucusq; durauerit, quam & roti Rei-  
pub profuisse, omnes sapientes & pacis at-  
mantes intelligunt.

Nec minori studio & labore Academiæ  
negotia, & tum & postea semper iuuit, quo-  
rum felix & æqua transactio Anno 63. facta  
est, durante adhuc intestino dissidio.

Pestilis lues, quæ anno 65. grauissimè nos  
afflixit, Academiam dissipauit, & circiter no-  
uem milia hominum, & in his Professores se-  
ptem, & studiosos iuuenes quadraginta sex  
sustulit, D. Simoni quoque curas & labores  
auxit, e reptis ipsi duobus collegis, Henrico  
Streuiio, Theologiae Licentiate, & M. Ca-  
spara Leunculo.

Paulo

Paulo post subsecutum bellum, nouis rur-  
sus calamitatibus Rempub. Ecclesiam, &  
Academiam inuoluit, cum & incendium ac  
conflagratio collegij Philosophici accede-  
ret, cuius instauratio diligentia cura & opera  
Doctoris SIMONIS, tum Academiac  
Rectoris facta est, & ipsa Academia rursus  
collecta.

Prætereo volens, cum & tempore exclu-  
dar, quæ durante bello, & milite in vrbe di-  
sposito, & castro ad portam urbis, quæ lapi-  
dea, dicitur, & dificato, & sequentibus quin-  
que annis acciderunt, in quibus publicas  
miserias ardentissimis ad Deum precibus,  
crebris apud Illustrissimos Principes inter-  
cessionibus, couilio & solatio apud ciues  
leniuit, & quæ ad integri status & libertatis  
restitutionem faciebant, summo studio &  
constantia peregit. Astiti ipse, quando à viris  
militaribus, magna tum autoritatis & pote-  
statis, duriter reprehenderetur, quod ciuium  
à militibus vexatorum patrocinium toties  
deprecando & interpellendo susciperet.  
Respondit intrepido animo, se nihil iniuste  
agere, pastorem Ecclesiæ huius esse, & do-  
miciū in vrbe cum alijs ciuibus habere. Et  
diuinis se vrgeri mandatis; Dolete cum do-  
lentibus. Querite pacem ciuitatis, in quā vos  
migrare fecit Dominus, quoniā in pace illius

Rom. 13.  
erit

erit pax vobis. Quod Ieremiæ in 29. capitulo dictum, multoties & tum & sœpè aliàs repetere, ac publicè etiam in concionibus inculcare solebat.

Politico ciuitatis statu adhuc inter spem metuimusque suspenso & afflito, Diabolus Ecclesiam quoq; turbare cœpit, inuecta per quendam aliunde introductum Pastorem disputatione, an panis & vinum cœna Dominicæ ante & post usum sit corpus & sanguis Christi, & qualis sit vis consecrationis, ut vocant, quam sola recitatione verborum institutionis Christi fieri iste contendebat. Re ad Illusterrimos principes delata, cum crebris & amicis monitis Ministerium, aliquique p̄ij & docti viri nihil obtinerent, causaq; per exteris & sinceros Theologos cognita & decisa, turbator ille in sua pertinax sententia remotus est, & sic Ecclesiæ tranquillitas restituta. Magnos in hac ὑπόσταξει & disceptatione labores sustinuit D. SIMON, quippe qui primum in Ministerio locum iam tum tenebat, ac quæ oranda & scribenda erant, ipsi præcipue propter eximia ingenij, prudentiæ & eloquentiæ dona commendabantur. Factum id est anno 69.

Vt autem quid de hac disputatione, alibi etiam mota, expresscripto diuini verbi sentendum sit, sciant iuniores, hanc regulam semper

semp̄ in conspectu habendum esse. Nihil  
habet rationem Sacramenti extra usum diui-  
nitus institutum. Quae regula ex ipsa Sacra-  
mentorum institutione & forma desumpta  
est. Usum vero hic vocamus totam actio-  
nem diuinitus mandatam, quae nequaquam  
discerpenda, sed coniunctim retinenda est.  
Sie cœna Domini non tantum sumptionem  
panis & vini, quam illi disputatores solam  
intelligunt, cum de usu loquitur, veruti-  
etiam segregationem elementorum hanc sa-  
cram actionem, recitationem verborum in-  
stitutionis, distributionem & sumptionem,  
ac mortis Christi commemorationem com-  
plectitur, sicut hec omnia ipse Christus com-  
plexus est, & sic perpetuo nos facere iussit,  
donec venerit. In hac ergo actione & usu  
Christum vere praesentem esse, & verum  
corpus & sanguinem suum, cum pane &  
vino, omnibus vescētibus per ministros suos  
distribuere statuendum est. Atq; hec vera &  
legitima est consecratio Sacmentorum, quae  
tota pendet ex veritate & potentia instituen-  
tis Christi, & ex certo verbo mandati & pro-  
missionis ipsius, quod non solum recitari,  
sed integrē obseruari debet: quemadmo-  
dum & in Baptismo fieri oportet, in quo ve-  
teres nonnulli etiam consecrationem aquæ  
prius faciendam esse existimarent. Inutilis  
ergo

ergo & ociosa disputatio est de phrasibus,  
ante vsum, & post vsum, cum in vsu tamum  
sint Sacra mentia ; ipso Christo ita volente &  
ordinante.

Paucis annis post, feruentibus adhuc inter  
Illustrissimos Principes & Rempub. hanc  
dissidijs ac litibus, i. erum specie quædam  
belli suborta est; cum anno 73. impeditis &  
obsessis vndique itineribus terra marique,  
commeatus & negotiatio vibi ad quatuor  
menses intercluderetur, & armata manu v-  
trinque multa tentarentur. Verum interces-  
santibus Ordinibus dicticnis, Academię item  
Concilio, & Ecclesiæ Ministerio, ac Deo in-  
primis iuuante, sopita sunt omnia ; & placati-  
tis æqua transactione Illustrissimis Princi-  
pibus, pax vibi cum libertate pristina redi-  
cta est, castrumque dirutum. Ac singulare  
hoc exemplum fuit diuinæ bonitatis, &  
commemorabilis clementiæ optimorum  
Principum erga subditos suos, quæ æterna  
prædicatiōne & gratitudine digna est.

In ea transactione, cum etiam de Superi-  
tendentis, Pastorum & cæterorum Ministro-  
rum huius Ecclesiæ electione & institutione  
determinatum esset, totius Reuerendi Mi-  
nisterij, & duorum ex Senatu vrbis depu-  
tatorum vnanimi consensu, Superintenden-  
tis munus delatum est D. SIMONI, die no-  
na De-

m  
&  
er  
ne  
m  
&  
e,  
or  
v-  
es  
n-  
a-  
i-  
l-  
e  
n-  
a-  
-  
-  
na  
ha Décembris , eiusdem anni 73. quam ele-  
ctionem Illustrissimi Principes ratam ha-  
buerunt , & diplomate suo statim confirma-  
runt.

Etsi verò tranquilliora exinde tempore  
DEVS vrbi huic concessit, tamen & labores  
ac curæ ipsi D. SIMONI auctæ fuerunt, &  
sæpe numero, ut sit in rebus humanis, inci-  
derint toto illo ēπακοντῆς suæ tempore,  
quæ prudētiā, circumspēctionem & mo-  
derationem singularem requirebant. Et  
non diu post nouia quædam turbatio Eccle-  
siam hanc pēculit, excitato per nonnullos  
certamine de Peccatō originis, quod ipsam  
corrupti & non regenerati hominis sub-  
stantiam esse quidam docuerunt, & hi cum  
illis propugnarunt. Sed breui sedato hoc  
tumulu, tranquilla & sincera ab eo tem-  
pore mansit Ecclesia, eiusque cum Acadē-  
mia & Magistratu coniunctio. Itaque  
omnium conatibus & laboribus benedixit  
Deus, & incrementa dedit ubique insi-  
gnia ac salutaria, iuxta dulcissimam pro-  
missionem: Rogate quæ ad pacem sunt  
Ierusalem, & prosperentur diligentes te. *Psal. 122.*  
Sit pax intra muros tuos, & prosperitas in  
palatijs tuis.

Tandem etiam ante annos octo, quæ  
scliquæ erant inter Illustrissimos Prin-  
cipes

cipès & Rempub. controversiæ , superiori  
actione ad compromissum reiectę, interuen-  
tu Procerum huius prouinciæ , planè com-  
positæ sunt , Domino Superintendentे hic  
quoque cum alijs quibusdam ex ordine A-  
cademiæ, fidelem operam suam vrbi natian-  
te. Ita Deo autore pacis regente & benedi-  
cente , firma & integra pax constituta est,  
qua & nunc læti fruimur, & fruemur dein-  
ceps, si grati Deo fuerimus, & debita erga su-  
periores subiectione, pietate, modestia , dili-  
gentia in officio , disciplina honesta, mutua  
inter nos ipsos benevolentia & concordia,  
pia denique precatione, tantum bonum reti-  
nere studebimus.

Intra has igitur tamq; varias periculosas  
& difficiles ciuitatis huius , omniumq; in ea  
ordinum & rerum conuersiones, Superinten-  
dens cursum suum annis triginta & uno te-  
nens, vt peritus nauta in iactatione maris, cla-  
uum ad unicum istum scopum ceu portū di-  
rexit, vt gloria Dei illustraretur, Ecclesia æ-  
dificaretur, Academia floreret, salus & pax  
publica promoueretur & conseruatetur.

Adiunxerat vero etiam ipsi Deus collegas,  
tam in Academia. quam in Ecclesia, ætate, do-  
ctrina , vsu rerum , pietate & fide graues ac  
præstantes, quorum consilio, opera ,coniun-  
ctione in rebus dubijs & grauissimis vteba-  
tur,

er, eosq; diligebat & colebat. Nec sua tam  
tum iudicia sequebatur, sed cum his piè &  
grauius conserebat sententias, & quæ neces-  
saria, iusta & utilia erant, constituebat. Scie-  
bat enim sapienter præcipere Salomonem  
Prōuerb. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ, &  
ne sis sapiens apud temetipsum. Item Prou.  
24. Salus erit, ubi multa sunt consilia. Et  
Homeri versus Iliad. 10. celebrantur à sa-  
pientibus.

Σύντο δύ' ἐρχόμενων γὰρ περὶ τὸ ἐνόνθεν  
Οππῶς κέρδος ἔη, μῆνος δὲ ἐπερ περ νόηση,  
Ἄλλα τε οἱ Σοφίστων δὲ νόος, λεπτὴ δὲ τε μῆνις  
Euntibus simul duobus, alter præ altero intelligit,  
Qualiter utile sit: Solus vero et si intelligat,  
Tamen ei tarditor animus est, debiliusq; consilium.

Multa in hunc virum dona contulerat  
Deus. Ingenium erat excellens, multarum  
artium, & in primis cœlestis doctrinæ soli-  
da cognitione egregiè ex politum, iudicium  
graue & rectum, sapientia spiritualis, &  
prudentia insignis, quam assidua lectione  
scripturæ, & maximarum rerum usu com-  
parauerat, & in probatione spirituum, ac di-  
iudicatione controversiarum, alijsq; que nego-  
tijs Ecclesiasticis & Academicis rectè adhi-  
bere nouerat. Flagrabat pectus eius Zelo ve-  
ritatis, iustitiae, castitatis, omniumque virtus-

C tum.

trum. Ideo due falsos doctores & corruptos  
Ies veræ doctrinæ, in primis de cœna Domini,  
perfecto odio oderat, ac refutabat acerri-  
mè, notoria flagitia taxabat grauiter, discipli-  
nam Ecclesiasticam tuebatur constantissimè.

Animus in concionando erat excelsus &  
intrepidus, per spiritum roboris confirmata-  
tu, ut nullius personam in afferenda verita-  
te, & repræhendenda iniustitia respiceret.  
Oratio eloquens, meditata, perspicua, gra-  
uis, diserta, multisque historiarum & senten-  
tiarum florculis exornata, & cum opus erat  
tonans & fulminans, & aculeos in animis au-  
ditorum relinquens, qualem Periclis Attici  
oratoris eloquentiam fuisse Eupolis comi-  
cus poëta scripsit. Vnde quidam vir doctus  
artificem ferventissimarum concionum eum  
nominat. Rufus in consolationibus euoluē-  
dis & inculcandis mira erat orationis suaui-  
tas, & vis quædam penetrans in corda affli-  
cta & contristata, ut nouum aliquem lætitiae  
& recreationis motum sentirent. Dexteritas  
in docendo, dispensando, & explicando res  
prophanas & sacras, felix & eximia erat, os-  
tinaque in schola referebat ad Methodum  
Dialecticam, in concionibus popularibus ad  
dispositionem & ornatum Rhetoricum, quod  
ipsum etiam eruditissima eius, quæ extant,  
scripta, ostendunt.

18

In his præcipuum locum obtinenter Me-  
thodi locorum doctrinæ Christianæ; item Eo-  
angeliorum & Epistolarum dominicalium  
explicationes, utraque lingua Latina & Cœ-  
manica editæ, quæ magna auiditate initio à  
multis pijs acceptæ, & aliquoties recusæ, ad-  
huc in omniū, qui Ecclesiæ sinceras in Bohé-  
mia, Moravia, Austria, Vngaria, & alibi dō-  
cent, manibus versantur.

Conuersatio in communi vita plena erat  
humanitatis, obsequij, comitatis, mansuetu-  
dinis. Omnibus se benignū, facilem & promi-  
ptum præbebat, & a leoste & iacu, fastum & ebri-  
tatem oderat. Pacis & amicitię conservandę,  
quantum fieri honeste & bona conscientia  
potuit, studiosissimus. Odiorum & crimina-  
tionum, quas saepe plurimas sustinuit, pati-  
ens, & Deo vindictam commendans, nec  
minus constanter rectū publicæ salutis pro-  
positum vrgens, ut Ennianum illud de ipso  
quoque verè dici possit: Non ponebat enim  
rumores ante salutem. Vita priuata & do-  
mestica disciplina honesta & inculpata  
fuit. Et omnino virtutes illæ, quas Pau-  
lus in Episcopo requirit, in eo conspicie-  
bantur, eratque typus fidelium in hac Ec-  
clesia, in doctrina, conuersatione, dilectione,  
Spiritu, fide & castitate. Atque hæ virtutes  
magnam ipsi existimationem & autorita-

C 2 tem

tem apud omnes conciliabant, famamque  
nominis eius in extera etiam loca latè ex-  
tendebant. Hominem tamen se esse, ideoque  
nihil à se humani alienum esse ipse libenter  
agnoscebat, suaque virtus & natus fateba-  
tur & deplorabat, aliorumque onera placi-  
dè ferebat.

Memorabilia quoque sunt monumenta  
artificiosorum & splendidorum operum,  
quæ sua potissimum cura & hortatu, in co-  
templo, ubi pastorem agebat, confecta, post  
se reliquit. Ut, Turris nouæ cum sonoro &  
per quadrantes distincto horologio, quod  
toti virbi ornamento & usui est, fabricatio:  
Organorum, iucunda suauitate & varietate  
diuersarum vocum ac harmoniarum præ-  
stantium, compositio: Suggesti, ex lapide  
polito & eleganter sculpto, structura, alias  
que ornando templo & cultui diuino ac-  
commodata. Voluit enim, iuxta Pauli præ-  
*z. Corin. 14* ceptum, omnia ευχημόνας ἡγε μοτα τάξιν  
fieri, cum in illo, tum in alijs templis huius  
verbis inspectioni suæ commissis:

*Pro. 3.* Postremus vitæ actus talis fuit, qualis fi-  
*Roma. 8.* liorum Dei conditio plerumque solet esse  
in hac vita. Quem diligit Dominus hunc  
corripit, & vult filios suos conformes fieri  
imaginis Christi, in cruce & in gloria. Cum  
igitur natura in corpore gracili, nec adeo

C 3 magno,

magno, robusta semper fuisset, ideoque ad  
vigilias, labores, molestias & curas multipli-  
ces sustinendas, idonea, his tandem exhaus-  
stus vir optimus, in morbum grauissimum  
& diuturnum incidit, sanguine prauis humo-  
ribus melancholicis, cui Scorbutum, in his  
regionibus notum morbum, generant, infe-  
cto. Ex quo cum aliquantum respirasset, &  
ad ministerij sui labores bis rediisset, ac spes  
integræ valetudinis affulgeret, in patriam  
ad salutandos amicos iuit, quamuis corpore  
adhuc infirmiore, indeque reuersus, postri-  
die circa vesperam in apoplexiām incidit,  
quæ post horas quatuor eum suffulit. Qua  
ipsa die circa prandium ego eum conueni-  
ens, de varijs & grauibus rebus, ad gloriam  
Dei & salutem Ecclesiæ nostræ pertinenti-  
bus, cum eo collocutus sum.

Inuasio morbi huius postremi, sermonis  
quidem usum, sed non mentem statim abstu-  
lit, qua agnoscens accurrentes amicos, &  
manu extensa salutans, eamque ad cœlum  
subinde erigens, ostendit se Deo fidere, bea-  
tamque expectare migrationem ad redem-  
ptorem suum IESVM CHRISTVM, cuius  
sacra cæna paucis diebus ante in templo  
publicè usus fuerat, & quem eadem die,  
qua iter Suerinense ingrederetur, vnicam iu-  
stitiam nobis à Deo factum prædicauerat,

C 3

Erat

Erat enim tum Dominica de duplii iustitia.  
Pharisæorum & verorū discipulorū Christi.  
Placidè tum decumbens dormienti similis,  
Spiritu um tandem Deo reddidit, absque ullo  
cruciatus aut difficilioris agonis signo, cuius  
rei testes quamplurimi qui adfuerunt, una  
mecum esse possunt.

Sic placuit Domino, fidem seruum suum  
& formem militem ex statione sua auocare, &  
per mortem absque ullo sensu mortis trans-  
ferre in cœlestis Academiæ & Ecclesiæ con-  
suetudinem, ac vitam æternam, multorum  
sanctorum virorum exemplo, ut Lutheri,  
Mathesij, Nicolai Husmanni, qui Fribergæ  
Misnicæ in suggesto obiit, Matthæi Aquilæ  
pastoris olim templi nostri Mariani, qui  
templum ingrediens subito apoplexia cor-  
reptus interiit, Iacobi Metzmacher colle-  
gæ D. Simonis, viri optimi & fidelissimi,  
qui superiori anno pridie Dominicæ Septua-  
gesimæ nocte in lecto cubas subito absq; ullo  
doloris sensu mortuus est, & aliorum. Non  
enim mors subita sed mors impia, mala est.  
Incidit obitus eius in diem 17. Iulij, horamq;  
vespertinam decimam, huius anni 1591. cum  
vixisset annos 56. menses octo, dies dcccem.

Parentauimus Superintendenti, collegæ, a-  
mico, præceptori nostro desideratissimo, D.  
Simoni Pauli, & officium hoc, quod in Aca-  
demia

demia posuimus & debuimus, postremum  
ei praestitimus. Vult enim Deus agnoscere ex-  
cellentiā virtutū in viris magnis & salutari-  
bus, ut ipsi pro his donis gratias agamus, &  
singuli suo loco ad similiū virtutū imitatio-  
nē, & ad præclarè merendum de Ecclesia &  
Repub. donis sibi collatis à Deo, inuitemur.

Nunc quod restat, Illusterrimus Princeps  
vna mecum clementer & amanter à vobis o-  
mnibus petit, vt visitato more in vicinum tem-  
plum Cels. & Magn. eius comitari non gra-  
uemini, & vota ad Deum faciatis, pro felici  
& salutari Magistratus nostri administratio-  
ne, & pro Ecclesiæ, Academiæ ac Reipub.  
diuturna pace ac tranquillitate. Et vt filius  
Dei sedes ad dexteram æterni patris, & dans  
dona hominibus, alium in defuncti Domini  
Superintendentis locum, fidem & idoneū,  
eodemque spiritu ornatum doctorem huic  
Ecclesiæ & Academiæ reddat, cæterosque  
superstites Ecclesiæ & Academiæ doctores,  
quam diutissimè incolumes, concordes ac  
sorientes conseruet, propter gloriam  
sanctissimi nominis sui.

D I X I.

C

P O



ПРОГРАММА

In funere D. D. Simonis Pauli pub-  
lice propositum.

WILELMVS  
DE IGRATIA, IN  
LIVONIA, CVRLAN-  
DIÆ ET SEMIGALLIAE

Dux: Rector Academiæ  
Rostochiensis.



R AVISSIONE  
PAVLVS Ephes. 4  
docet, CHristum seden-  
tem ad dexteram æterni Patris, da-  
re dona hominibus, Apostolos, Euā-  
gelistas, Pastores & Doctores, ad o-  
pus ministerij, et ædificationem cor-  
poris (ecclesiæ) Christi, donec perue-  
niamus omnes in unam fidem &  
agnitio-

agnitionem Filij Dei, in virum perfectum, ne simus amplius pueri fluctuantes, qui circumferamur omnivento doctrinæ, per præstigias hominum, & versutias ac imposturas ad insidiosè fallendum comparatas. Inter hæc Filij Dei, immensâ misericordiâ subinde excitatis & datis bonis Pastoribus & Doctoribus, Evangelij lucem late propagantis, & Ecclesiam sibi æternam colligentis ac regentis, DONA illustria, merito recensemus, Reuerendum & Clariss. virum D. SIMONEM PAVLI, S. Theologie in hac Academia Doctorem eximium, et Ecclesiæ huius urbis ac vicinarum Superintendentem vigilantem. Quem, ut Ethæi ad Abraham dicunt: Princeps Dei es verè inter nos, ita verè

C s iζαρχον

ζαρχον D. i ministrum inter nos , ab  
Eccl<sup>ie</sup> Doctorem et rectorem prae-  
cipuum , proximâ die Alexij confes-  
soris , 17. Iulij , DEUS , post diuinis-  
nam integri ferè semestris agrotatio-  
nem , cùm iam firmiusculè rursum  
habere ac conualuisse videretur , su-  
bitò ex statione sua ad cælestem ec-  
clesiam euocauit .

Verè autem eximijs et singulari-  
bus DONISDEI , ad docendam  
Ecc regendam Christi ecclesiam ne-  
cessarijs , à Filio Dei sedente ad de-  
xteram eterni Patris , ornatus erat  
hic Doctor . Et verè congruebat ipsius  
Doctrina & Vita ad normam à  
Paulo traditam : Typus est fidelium  
in Doctrina , in Conuersatione , in  
Dilectione , in Spiritu , in Fide , in Ca-  
stitate : Attēde lectioni , doctrinæ &c.  
Custos .

Custos vero deo et Seruatore no-  
stro Iesu Christo doctrinæ fidelis, &  
Doctor in Ecclesia et Academia de-  
xter, industrius, ac sedulus fuit; non  
aures modò clamoribus & luxurie  
orationis complens & demulcēs, sed  
veræ pietatis, timoris DEI, Fidei,  
consolationum, & cæterarum virtu-  
tum aculeos in animis audientium  
relinquens. Mores fuerunt integri,  
placidi & modesti, & in conuersa-  
tione cum alijs comes, humani, aspe-  
ritatis & offensionis nihil habentes.  
Dilectionem erga collegas, & cōcor-  
dix ac coniunctionis mutua studiū  
sedulò præ se ferebat, et tranquillita-  
tis ac pacis Ecclesiae et Reipublice in  
hāc urbe tuendæ & alendæ cupidus  
erat. In obiurgatione severus & in-  
trepidus, & in defensione veræ do-  
ctrinae

Erinae acer, Zelo spiritus feruebat.  
Rursus etiam iudicio spiritus nego-  
cia discernens, ubi pugnandum, ubi  
lenitas utilior esset, considerabat. Fi-  
dem sensiduciam et exspectationem  
auxilij diuini in tolerantia periculo-  
rum, In preicatione, conspici ab au-  
ditoribus Galispijs volebat, ut di-  
scerent ipsi quoq; firmiora praesidia  
esse Fidem in invocationem Dei,  
quam humanam potentiam. Deniq;  
casti pudoris decus in coniugio hone-  
sto studiosè tuebatur, & seuerus tur-  
pidinū hostis erat. Quibus polluti,  
magis huius sui pastoris obiurgatio-  
nes, quam DEI aut Magistratus  
gladio armati pœnas horrebant. Po-  
stremò assiduitatem in studijs, in  
docendo, in exhortando, consolando,  
Omnibus officij sui partibus, à  
Paulo

Paulo mādatamī, s̄ dulō pr̄stabat.

Tali ē pastore Ecclesiae, ē Do-  
ctore Academie nostrae cūm simus  
orbati; omnes p̄ij in Ecclesia & A-  
cademia vero pectore dolent, & in  
publico laetui, non solum de orbitate  
huius Ecclesiae, sed etiam de futuris  
periculis anguntur. Vosq; adhor-  
tantur, vt consideretis publicas mi-  
serias, & cūm Ecclesia Filium Dei  
precemini, vt hic & alibi pios et sa-  
lutares Pastores & Doctores, dein-  
cepset iam tribuat.

Historiam vitæ Doctoris defuncti,  
ex amicis fortè illius quidam, Ora-  
tione iusta aliquando contexet. Na-  
tum esse acceperimus anno 1534. die  
Simonis et Iude, in oppido huius di-  
tionis Megapol. SV ERINO, pa-  
tre honestissimo viro, Joanne Pauli,  
opp̄-

Oppidi Consule qui filium ingenio va-  
lentem, in Schola Luneburgensi, à  
Luca Lossio fidei et felici studiorum  
inuentis formatore erudiri voluit.  
Inde in hac nostra et Witbergensi  
Academia cursum studiorum absol-  
vens: anno 1560. exeunte, docere in  
hac Schola Ecclesiā cōpīt. cui cum  
in optimis studijs, in officio docendi  
Euangelij, in gubernatione ecclesiae,  
in dijudicatione controvēsiarū, in  
iudicio Ecclesiastico, in inspektionē  
Ecclesiarum, in omnium virtutum  
exercitijs, in assidua Dei inuocatio-  
ne, iam vnum et triginta annos ser-  
uierit: ardenti pectore Deo gratias  
agamus, pro donis ipsi, & per eum  
huic Ecclesiæ et Academiæ collatis,  
& petamus Ecclesiæ hic et alibitales  
Pastores & similia dona clementer  
tribui.

tribui. Hæc in funere hodierno cogi-  
tanda sunt: Quid, ut benevolentiam  
erga pastorem nostrum, & sanctum  
Euangelij ministerium nostram de-  
claremus, ipsi in persona comitari de-  
creuimus. Itaque nostro exemplo, cæ-  
teros etiam Academiae nostre Do-  
ctores & auditores omnes, studiosi-  
us ac frequentius, Hora I. extremū  
hoc amoris & pietatis officium, piè  
defuncto Ecclesie huius pastori præ-  
stituros non dubitamus. P. P.

die 20. Julij. Anno  
M. D. XCI.





154802

AB: 154802

ULB Halle

003 864 588

3



5b.


V0-17



ame son ius cuiusvis se  
quere et reperi utique est in jura  
temporum ducum et suorum. Ita  
mensus habeo hunc ducem  
ut dux son opus. si quoniam  
poterit suus statim in responso  
metam invenire illud. ad  
hunc cum suis dux. Tunc in  
onere suorum suorumque. si quoniam  
poterit suorumque amicorum. ne  
hunc dux suorumque et responso  
remu ame unius. in  
unib[us] si quoniam dux unius ib[is]

## Farbkarte #13

B.I.G.




13 ORATIO  
DE D.  
**SIMONE PÄVLI,**  
SUPERINTENDENTE EC.  
clesiae & Professore academiæ Rosto-  
chensis celeberrimo.

Habita a  
**LVCA BACMEISTERO**  
Theologiae D.

CVM ILLVSTRISSI-  
mus Princeps VVilhelmius in Li-  
uonia Curlandia & Semigallia  
Dux, prorogato sibi Academiæ Re-  
ctoratus, vices suas illi in publico  
& solenni actu commendaret,  
die 18. Octob. Anno.

Christi 1591.



ROSTOCHII  
Typis Myliandrinis.  
ANNO cl. I. xlii.